

loratis. Margines et Interlineare notulis adsparguntur, ut in *Paulinis*, quarum tamen hic non paucae *Theotifcae*, ut in Epistola *Jacobi*: conceperit *ent fabit*. initium *furisti herote*. acceptione *antfan*ge. exaltat *uberbarit* &c. et in his multae, ut videtur, cryptographicae. Ita in *ead.* Epistola: ad vocem *salutem* in marg. *vuplb quufdi*. ad vocem *personarum hercupmp*. ad vocem *Regalem riblkcb* &c. quibus extricandis immorari haud vacat. Codicem tamen vetustae linguae nostrae Indagatoribus commendo. *Job. I. c. 5.* testimonio coelesti omisso terrestre sic legitur: *quia tres sunt qui testimonium dant* (adjecit glossator *in terra*) *spiritus et aqua et sanguis et tres unum sunt.*

Exemplum hoc egregium utrinque ambiunt Membranae duae *hebraicae* decerptae ex Tractatu *Talmudico ערוכי* seu de *Mixtionibus* fat vetustae.

LVIII. VIII. 26

237 Codex membraneus lat. Sec. XI. Folior. 160. f. manu *Mariani Scoti* celebris Chronographi, qui per vices Coenobia O. S. B. *Coloniae, Fuldae, Moguntiae, Ratisbonae* incoluit, et a. 1086. diem clausit, elegantissime scriptus et rubricis distinctus continet *D. Pauli Apostoli Epistolas omnes* eodem ordine, quo in Bibliis hodie leguntur, nisi quod Epistolis ad *Coloss.* et *Thessalonic.* interjecta sit spuria illa ad *Laodicenses*. Hac porro excepta reliquae non tan-

tum glossis inter lineas passim notatae sunt, sed ad margines plurimis PP. locis illustrantur, scilicet *Gregorii, Fulgentii, Cassiani, Augustini, Hieronymi, Origenis, Haimonis, Leonis et Alcuini*, quibus accedunt *Liber Pastoris, Petrus Diac. Ambrosiaster* nunc in T. II. Edit. *Maur. Paris.* 1690. append. p. 21. rejectus, et *Pelagius*, cujus *Commentarii in Paulinas* leguntur T. XI. Opp. *Hieronymi* edit. *Vallars.* Col. 835. atque ita quidem, ut usque ad Epistolam ad *Coloss. Gregorius*, hinc vero usque ad finem *Pseudambrosius* ille praevaleat. Loca haec PP. si cum ipsis eorum Operibus conferrentur, meliorem fortassis hinc inde lectionem subpeditarent. Jam vero Codici sequentia praemittuntur: Primo *Incipit prologus hieronimi in epistolam ad romanos.* Habetur hic T. VI. *Biblior. glossat. Lugd.* 1545. fol. 2. sed nobis haec praecedunt: *Romanos non dum uiderat apostolus. nec in eis ipse. ut in ceteris primus fidei iacerat fundamentum. Sed aliis discipulis crediderant predicantibus* (glossa *barnabas et clemens* interjicit) *Ab apostolo indigent confirmari. Sic ipse dicit. Desidero enim uidere uos. ut aliquid impertiar uobis gratie spiritualis ad confirmandos uos. His ergo nunc scripsit. qui cum ex iudeis. et gentibus credidissent superba contentione* &c. et deinceps ut in editis, sed non fine multa lectionis variatione. Secundo *Incipit Argumentum hieronimi in epistolam ad romanos.* Non inuenio in *Hier.* Operibus nisi locum

cum quendam similem in *Comment. Epist. ad Galatas*. Initium: *Epistolę pauli ad romanos causa hec est; Ecclesiam e duobus populis id est de iudeis et gentibus congregatam exęquat meritis. ut causas ei auferat simultatis &c.* et post 9. lineas finis: *Scito qui legis. non expositionem continuam esse dictorum. sed subnotationes breues singulis uersibus ac uerbis appositas.* Adhaeret *συλλαβος* Epistolarum Pauli omiffa *Laödicena*. Tertio *Item prologus uel argumentum clementis uel hieronymi*, quod nec apud hunc, nec apud geminum *Clementem* reperi. Continet breuem recensum Epistolarum hoc initio: *Omnis textus uel numerus epistolarum ad unius hominis perfectionem proficit &c.* et hoc post lineas 33. fine: *Ad philimonem de onessimo seruo. qui emendatus melior factus est.* Quarto *Item hieronimus: Paulum apostolum proferam. quem quotienscunque lego — fugam simulat ut occidat.* Locus est ex *Ep. XLVIII. ad Pammach.* Edit. *Vallarj. T. I. col. 221.* Quinto *Incipit argumentum omnium epistolarum quod pelagius uel hieronimus composuit.* In *Bibl. glossat. suprac.* tribuitur absque haesitatione *Hieronimo*. Quid uero, si re ipsa ad *suprac. Pelagii Commentarios* pertineret? Initium: *Primum queritur quare post euangelia que supplementum legis sunt &c.* Finis: *habere meliorem et manentem substantiam.* Sexto *Incipit prologus ambrosii in apostolum.* Initium: *Ut rerum notitia habeatur principia rerum requirenda sunt &c.* Finis:

Denis Codd. mfs. theol. Bibl. Palat.

*exutum a lege ostendit.* Extat *T. Ambrosii suprac. Append. col. 25.* Septimo demum *Incipit argumentum epistolę ad romanos.* Breue illud *Summarium: Romani sunt in partibus italię &c.* quod in *Bibl. glossat.* et alias praefigi solet. Eiusmodi *Summarium* etiam reliquis Epistolis praenotatum, singulisque *Versuum* numerus ad calcem adiectus est. Ita *ad Rom.* censentur *Versus 911. ad Corinth. I. 980. II. 292. &c.* Similiter Epistolae in Particulas tributae sunt, quarum *ad Rom.* numerat 51. *ad Cor. I. 72. II. 68. &c.* Textus uero cum *Vulgatis* nostris prorsus consonat. Ad Codicis calcem caractere, ut in omnibus seu titulis, seu subscriptionibus, miniato legitur: *In honore indiuidue trinitatis Marianus scottus scripsit hunc librum suis fratribus peregrinis. Anima ejus requiescat in pace. propter deum deuote dicite. Amen. XVI. kl iunii hodie feria. VI. anno domini. M. LXXVIII.* Per *Fratres peregrinos Marianus Monachos Scotos et Hibernos* illa aetate frequenter *Continentem* inuisentes designat, in quorum gratiam quaedam literis *Anglosaxonicis* hinc inde ad marginem adiecisse uidetur. Ita *fol. 10. p. 1.* legitur: *Satharn casc innocht f. X. kl. april. anno domini. m. LXXVIII. mariani miseri domine miserere.* *Fol. 87. p. 1.* *Feil comgaill in dio fain didiñ. aimpede fdia in dilgud domuirfo ac tros.* *Fol. 141. p. 1. ann. domini mlXXVIII. feil bsenain innocht fdardain. Aimpede fdia in dilgud domurfo ac tros.* In quorum

I

ex-

expositione me Lexica destituunt. Legitur praeterea fol. 17. p. 1. *Ascensio domini bodie. VI. N. maii. Anno domini m̄lXXVIII. mariani miseri domine miserere.* Meminit Codicis hujus egregii *Lambecius* T. II. p. 749. edit. *Kollar. col. 526.* qui tamen *Notas* marginum, quae, ut dictum est, locis PP. constant, pro ipso *Mariani* foetu habuisse videtur.

LIX. VIII. E. 4.

353 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 105. f. propter glossas marginum et interlineares columna angusta, lineisque laxis nitide exaratus, rubricisque distinctus continet omnes *D. Pauli Epistolas*, quarum prima inscribitur: *Incipit Epistola Beati Pauli Apostoli Ad Romanos.* Praeit illam breve quoddam argumentum hoc initio: *Quamvis in Euangelio et correptio morum et uitę humane doctrina contineatur &c.* Textus Epistolarum sat emendatus, Glossae partim ex ordinaria *Walafredi Strabi*, partim ex interlineari *Anselmi Laudun.* depromptae sunt. Illud peculiare, quod soli *Epistolae II. ad Corinthios*, et *Epistolae ad Galatas* Summaria exacta praefixa sint, quae utrobique *Tituli* inscribuntur. Inter *Epist. ad Philemonem* et *ad Hebraeos* tria inferuntur Segmenta. Primum est C. V. five *Vita D. Pauli* e *Catal. Illustr. Viror Hieronymi.* Alterum e *Libro Hermetis* (*Hermae*) *Pastoris Mandato* III. de

Conjugibus adulteris. Tertium de Genealogia *B. Mariae*, quod incipit: *Anna et esmeria fuerunt sorores &c.*

LX. VIII. E. II.

Codex membraneus lat. Sec. 360 XIII. Folior. 40. f. minutius sed fat nitide perscriptus, rubricisque distinctus continet *D. Pauli Apostoli Epistolas* ex interpretatione vulgata, eo ordine, quo in Editis habentur. Adspersae sunt cum in marginibus, tum inter lineas *Notulae*, quae nec ex *Anselmi Laud.* nec ex *Walafredi Strabi Glossa* provenere, versus medium decrefcunt, versusque finem rursus copiosiores evadunt. Exemplo fit, quod ad v. *vocatus* statim in limine *Epist. ad Rom.* notatur: *Vocatio fit multis modis. aliquando per solam predicationem. aliquando per grauissimam infirmitatem uel aduersitatem. aliquando per miracula euidentia. aliquando per occultam inspirationem &c.*

Fuit Codex hic olim *monasterij sancte crucis in lympurgh inter spiram et Wormaciam ciuitates preclaras*, quod Abbatem celebrem habuit *Rupertum*, cuius quaedam dedimus inter *Homiletica.*

Afferculo posteriori adglutinae sunt *Litterae Philippi Episcopi Albanensis*, quibus *Friderico de Rudesheym Maguntin. dioc.* Uxorique et Liberis conceditur electio Confessarii ad Quinquennium in ordine ad absolutionem exceptis Casibus Sedi Apostolicae reservatis, et Votorum commutationem

ex-